

Lachrymæ

21

CIVIVM ET
MV SARVM GOR,
LICENSIVM.

In funere honoratissimi viri, eruditione, pie-
tate, prudentia, eloquentia & auto-
ritate spectatissimi, Domini
Magistri

GEORGII OTMANNI,

Consulis Reipublicæ Gorlicensis,

oculis

animisq; fusa, ac carmine expressa

à

GREGORIO RICHTERO Gorlicio,

Collega

docentium Euangelium CHRISTI in vrbe
GORLICENSI designato.

GORLICII

Ambrosius Fritsch excudebat,

Anno

M. D. XC.

GEORGII OTTMANNI
M. D. C. L. V. M. G. O. R.
L. P. C. N. S. I. V. M.

Instructio...
...
...

GEORGII OTTMANNI

...

GEORGII OTTMANNI

Collegii

...

...

GEORGII

Andreas...

...

...



8257.V.7538

EGREGIÆ INDO-
LIS, OPTIMÆQUE SPEI
*adolescens & pueris, GEORGIO, IOHANNI,
LAVRENTIO, & GVILLHELMO, Clarissimi &
doctissimi viri, Dn. M. LAVRENTII LV-
DOVICI, Rectoris Scholæ Gorlicensis, &c.
filijs carissimis,*

S. D.



ME iussit pietas hos paucos scribere versus:
Manibus & vestri fundere carmen aui.
Quicquid id est, exile licet, vix lumine dignum:
Hoc; Pueri, vobis muneris instar erit.
Vos vt in antiquam virtutem, animosq; viriles,
OTMANNI celebris concitet vmbra senis.
Quin & mox quando matura adoleuerit ætas,
Prendere res cursu quò valeatis aui.
Interea studijs insta, vatesq; GEORGI
Peruolita: fructu non caret iste labor.
Nec te poeniteat iucundum ludere carmen:
Nam sunt ingenio carmina digna tuo.
Edite IOHANNES non infelicibus astris,
Artibus haud cesses inuigilare bonis.
Tu spebus, quas nos de te concepimus amplas,
Fac satis: & maneat, qui fuit ante, vigor.
Necti, LAVRENTI, inferior conatibus istis:
Tenuior aut donis, ingenioè minor.
Tollere sit curæ coeli caput arte sub astra:
Quo benè cepisti, fac pede semper eas.

A 2

Vos

Vos legite à veteri donatum munus amico :
In vos id nostri pignus amoris erit.
Meq; breui vnanimis meliori vincite versu :
Hinc nostra illius pars quoq; laudis erit.
At G V I L H E L M E nouo nunc fratribus addite partu,
Iuncta est in cunis cui C A T H A R I N A soror,
Vagitu crescas in vota precesq; parentum ;
Sic minimè fratres vltimus inter eris.

*Qui vos vestraq; studia
amat*

Gregorius Richter,
Gorlicius.



Lachry-

CIVIVM ET MVSA
RVM GORLICENSIVM.



Pater, ô hominum, Diuûmq̃ aterna pote-
stas,

Heu quò fata vocas? cur implacabilis ardes?

Quid patrij fines in te committere tantum,

Quid ciues potuere? quibus tot vulnera passis,

Eripitur lethi telis OTOMANNVS iniquis,

Hinc mala terrifici prædicent omina Vates:

Atq̃ aliquam patriæ cladem, pœnasq̃ tremendas

Hinc restare canent: dirum mens augurat omen,

Namq̃ DEVS quoties seuas exarsit in iras:

Atq̃ ad supplicium, pœnasq̃ reposcere fontes

Apparat: ante viros, illustria lumina terra,

Præripit: atq̃ malis per fata extrema futuris

Subducit: celsoq̃ bonus transcribit Olympo.

Heu quianam tanti cinxerunt mœnia luctus?

Quid uè pater IOVA sancte paras? miserere tuorum:

Prosequere ô venia: & propius res aspice nostras.

Supplicibus dum nos donis superare furorem

IOVA tuum cupimus: pacem & te poscimus omnes:

Sis clemens: adsisq̃ pede, ô rex summe, secundo.

O vitam, MEISTERE, tibi fata vsq̃ dedissent:

Mansissetq̃ tibi longè pars vltima vite,

Meisterus
Otomanni
discipulus,

A 3

Spiritus

Spiritus &: fortasse tuo nunc funera versu
 Prosequeris: & ad tumulum solennia ferres
 Carmina: nunc quanto nixus conamine, longum
 Sudares: versu ut ferres ad sidera cæli
 OTMANNVM virtute grauem, linguaq̃ potentem,
 Consilio magnum dextro, ingenioq̃ sagaci.
 Nunc ultro ad cineres Musas ter voce vocares.
 Imò ipse sonitum thalamo sub fluminis alti
 Sensissent: nitidam & subito per candida colla
 Casariam tecta, & velata, tristibus ora
 Venissent vittis: ululatusq̃ ore dedissent.
 Verum ego ne quicquam manes, umbrasq̃ vocabo
 MEISTERI: tua sit mihi fas vestigia, vatum
 Optime, prensare: & si non venam, artis acumen,
 Ingeniumq̃ sequi: astit in aperta ponere luce
 Gratum animum: meritisq̃ aliquas persolvere grates.
 Nunc ergò ad tumulum OTMANNI, nunc fundite
 Nisiades Musæ lacrymas: solatia luctus (mecum
 Exigua ingentis: patriæ sed debita patri.
 Nunc vestrum patriæq̃ precor deflete parentem:
 Quem tandem multis annis, fessumq̃ labore,
 Et fractum morbis, curarum & pondere victum,
 Abstulit aera dies, & funere mersit acerbo.
 Nisiades mecum lachrymas ô fundite Musæ,
 Occidit ille chori vestri præclarus alumnus:
 Occidit, & letho ponens caput expiravit.

Flle

5
Ille fuit primis Musarum fautor ab annis:
Patronusq; simul studiorum, & dulce leuamen.
Occidit (infandum) patriæ spes maxima terra.

Natalis.

Mecum, ô Pierides, funus deflete parentis:
Qui quondam in vestris natus complexibus: Urbis
Inclita GORLICIAE radit qua mœnia NISSVS:

Educatio.

Qui vestris patriæ penitus, quiq; artium amorem
Hausit ab uberibus: primisq; accepit ab annis:
Quem nullum potuit deinceps extinguere tempus:
Tâm lenta constans fixum in radice tenebat.

Occidit, ô Musa, et superos concessit ad ipsos:
Qui mentem imbutus studijs, vestrisq; repertis
Ingenuis, summa est versatus laude per artes:
Et subiit palma: nec frustra ad præmia venit.

Ille ubi iam Nisi vitreas fundamina ad undas
Prima locauisset studiorum, artiq; Latine:

Goldberga;

Hinc vestris tandem, Musa, dimissus ab oris,
Chrysopei petijt celebrata cacumina montis:
Hic ubi tum, nomen cuius se terminat astris,

Docta TROCENDOREVS flectebat sceptrâ Lycei.

Trocedor-
fius.

Hic vir hic est: patriæ quondam qui primus in oris
Reclusit pueris Graiorum oracula vatum:

Imò & qui reliquos, quæis tum commissa iuuentus,
Graecorum multa præstantes reddidit arte.

Is saepe has cæli iactauit ad æthera voces:
Ipse ego tot cætus, felici munere Diuûm,

Disci-

Frequentia
Scholæ Tro-
cedorfij,

Discipulorum alu: tam millia multa fuerunt
Hos intra alueolos Musarum: ut si agmina nobis
Cogere fas fuerit: nos atq; in praelia cingi:
Atq; simul cunctam castris educere pubem:
Jam dudum à patria possemus sinibus hostem
Arcere: & nè ultra vastator acynace Turca
Sæuiat in miseros, prohibere, & vincere gentem.
Hic tua docta, TROCENDORFI, puer audiit ora
OTMANNVS, pectus magno succensus amore
Palladios inter iuuenes virtute priorem
Sapè tenere locum, primos & consequi honores.
Hic te instans studijs non segniter ipse magistro
Penè puer didicit cantando condere soles:
Et calamos inflare leues: & dicere versus.
Audiit hæc celeri decurrens agmine Cattu:
Obstupuitq; simul: & plano desijt alueo
Ulterius ripas & pinguia culta secare,
Attonitis inhians animis, & pectore toto.
Audiit hæc tangens cæli capite astra Lyceus,
Miratus pueri voces, & maxima dona:
Plurima quæ iuueni concesserat optima Pallas.
Testis erit Schola tota mihi, iuuenumq; corona:
Quæ studiosa frequens narrantis ab ore pependit,
Atq; ultrò palmam tribuit, cessitq; canendo.
Tempus erat, cælo cum Sol altissimus iret:
Ureret & nimium flauentes Sirius agros:

Quando

7

Quando urbe egressus Carti expatiatur ad undas,
Stratus humi: ut frigus paulum captaret opacum,
Ipsa q̄ iam somnum suadebat inire susurro
Unda leui: & nimio decedere ripa calori.
Ergo ubi iam somno curas leniret acerbis:
Extemplo simulacra modis volitantia miris
Conspicit: atq; ecce ante oculos formosus Apollo
Visus adesse ipsi: atq; has rumpere pectore voces:
Quæ tanta tenuere mora, cursumq; retardant
Nate tuum? non fas terere ultra his ocia terris:
Rumpe mores omnes: te confer ad Albidos urbem:
Hic ubi scita IOVAE pandit sacrata LUTHERVS: Lutherus,
Qui nobis sacram scribendo, restituit rem,
Pontificum pellens nugas, cæcasq; tenebras,
Urbs ignota tibi penitus? quis nesciat urbem
Leucoream? quæ nunc totum laudata per orbem
Celsum alias urbes tantum caput extulit inter:
Quantum inter frutices tendens ad sidera quercus,
Hic etiam veterum pandet tibi scripta Sophorum,
Monstrabitq; viam multa bonus arte PHILIPPVS, Philippus,
Exiguo ingentes seruans in pectore dotes,
Ille Scoti, fraudes Thomæ, litesq; Sophistum
Enodat, longeq; arcet, lucemq; reducit:
Verba fugatq; procul prisca caligine scabra,
Ille artes iterum cunctas in honore locauit:
Addidit & rebus verum, verbisq; nitorem,
Ne dubita celerare gradum, & petere Albidos oras

B

Quam-

Quamprimùm : merita hic te expectant premia palma.
Sic ait : *Et* vitreis iterum se condidit undis,
Horrescit visu OTMANNVS nec plura moratus
Corripit è somno corpus : ripasq; relinquit.
Multa viri species animo, multusq; recursat
Urbis amor : hærent infixæ pectore voces,
Verbaq; : tum subito, sequimur te magne Deorum,
Quisquis es : imperioq; tuo paremus ouantes.
Adsis ô, placidusq; iuues : *Et* cepta secundes,
Hæc ait : extremumq; affatus voce Magistrum,
Magnum iter ad doctas proficisci cogitat oras
Albidos, haustus quicquid docuere Pelasgi,
Quid Latijq; Sophi : quos nunquam obscura recondet
Fama viros : donec steterit mundi ardua moles.
Ergo iter inceptum peragit rumore secundo.
Excipit hunc, opibusq; simul solatur amicis
Leucoris : *Et* iuuenem gaudent venisse Camæna :
Hospitio iungunt dextram : in sedesq; reponunt.
Ille autem haud inter luxus, nugasq; canoras
Vitam agit infamis : mentem at virtutibus ipsam,
Atq; arte excolere innumera haud ignobilis ardet.
Atq; ideò deinceps Latia, Graiaq; Camæna
Nosse suas ipsi concedunt protinus artes :
Naturæ occultas causas, penitusq; repostas :
Fatalesq; ignes cæli : Solisq; labores :
Defectus Lunæ crebros, variosq; meatus :
Insolitisq; tremant cur crebrò motibus urbes :

Viteberga.

Studia.

Cur

Cur & nonnunquam crebris micet ignibus aether:
 Ardua terrarum longè tonitruq; tremiscant,
 Sic rerum causas illi nouisse latentes
 Musa omnes dedit: atq; obitus inquirere & ortus,
 Ille alacris, monitisq; DEI caelestibus actus
 Omnia cognouit: quae mente reposita fideli
 Seruauit: vitam hic olli dum fata dederunt.

In primis fandi neruos, vimq; hauserat omnem
 Eloquij, rerum cultu praeeunte LUTHERO.

Lutherus.

Istius OTMANNVS miratus nobile donum,
 Et rerum neruos, maiestatemq; tremendum,
 Auribus arrectis astat: motusq; decori
 Ipsum ctiam stimulant vires tentare loquendi.
 Hinc rexit dictis animos: & pectora mulsit.
 Nec satis hoc: paruū, misit quem Bretta, PHILIPPVM Philippus.
 Sectatur: fidaq; premit vestigia planta.
 Nec vidisse modò satis est: iuuat vsq; morari:
 Et conferre gradum: rerumq; inquirere causas.
 Haec seram crebrò sub noctem cura recursat:
 Scilicet ipsius blandos, suauesq; PHILIPPI
 Posse sequi mores: re q; ipsa ostendere coram.
 Ipse autem, rarò quem coniectura fefellit,
 Ingeniū OTMANNI admirans, studiumq; MELAN-
 Utrò amat hunc: animosq; pio submittit amori (THON,
 Hinc illum verbis crebrò compellat amicis:
 Imò etiam mensa atq; epulis dignatur: eumq;
 Inuitat: si forte velit considerare tectis

B 2

Ipsius

*Ipſius: atq; unâ trahere haud inglorius ævum.
Omnis in OTMANNŌ magniſtat cura PHILIPPI.*

Nec potis eſt unquam magnas extinguere flammæ:

Perpetuumq; fouet conſtanti in pectore amorem.

Hinc crebro Albiacis ad eum peruenit ab undis,

Docte PHILIPPE, tuum quæ geſſit epiſtola nomen.

Hic in amicitiam coeunt, & fœdera iungunt

Aeterna, OTMANNVS iam tum iuuenilibus annis,

PEVCERVSq;, pares ambo virtute, fideq;:

PEVCERVS gentis noſtræ lumenq; decusq;:

Extera quem procul hinc, alio ſub ſole repoſta

Gens colit: & meritis extantem ſuſpicit altis:

Peucerus. PEVCERVS, firma æternum conſtantia nomen

Cui dedit: atq; feret ſublimem ad ſidera cœli.

Fama eſt Euryalum, & coiſſe in fœdera Niſum:

Quæis amor vnus erat: pariterq; in bella ruebant:

Quo caderent res cunq;, vnum & commune periculum,

Vna ſalus ambobus erat, atq; vna voluntas.

Tali leſſidem coniunctos iure fuiſſe

Sauliademq; refert ſanctorum pagina vatum.

Idem etiam hos raptabat amor in mutua iura:

Poſtea qui nullo potuit delerier æuo.

Hac WITBERGA tenus pectus formârat honeſtis

Pieridum ſtudijs, vatum doctiſq; repertis:

Cum NIſſVS, patriam qui præterlabitur urbem,

Facturam abſentis nimium indignatus alumni

OTMANNVM reuocat: patriæq; capeſſere demum

Frena

Frena Scola, teneramq̄ iubet formare iuuentam:
Viginti ille autem vix dum compleuerat annos:
Quando gubernaculo rector subit ipse Lycei.
Pulsa omnis nondum trans Pontum atq̄ ostia Nili
Barbaries fuerat, penitus tenebraeq̄ fugata:
Verum inuoluebant densa caligine Musas:
Atq̄ artes omnes omni sine honore iacebant:
Audierat nec dum docilis meliora iuuentus:
Quam quae tradiderant veteres olim ore Magistri.
Ille ferens secum normamq̄ viamq̄ PHILIPPI,
Mox tenebras fugat hinc procul ad nigra ostia Ditis.
Miratur pubes ipsum, & studiosa iuuentus:
Et monita attentas facilis demittit in aures.
Hoc duce rursus audent iuuenes tentare laborem:
Et laeti studia instaurant: alacresq̄ capeffunt
Autores Latios: CICERONIS quos tulit aetas:
Et Graios: quorum totum dispersa per orbem
Scripta extant passim: doctum & versantur in ore.
Feruēt opus: procul hinc studijs accita iuuentus
Aduolat: & multis operas successibus urget.
Testis eris, MELZERE, mihi: qui talia coram
Uidisti: & memorare potes, & pandere nobis.
Tu SMIDI, patrios iterum cui Curia fasces
Credidit: atq̄ dedit ciues in pace regendos.
Tu Praetor SVLDETE etiam, te nomino testem:
OTMANNI es primis operas miratus ab annis.
Hoc neq̄ te, THEODORE, latet: cui dogmata cura

Schola pa-
triae com-
mendatur
Otmanno.

Methodus
Philippi.

Frequentia
Scholae.

Melzerus.

Smidius.

Suldetus.

Theodorus

B 3

Sparge.

Spargere sane IOVAE: patriæq; recludere summi
Fussa ferenda DEI, miserisq; adhibere medelam.

VVelsius.

Nec verò ignoras, WELSI, rerum optimus usus
Qui longo polles, & dulci flumine lingua.

Vos quoq; præterea reliqui longo ordine ciues:

Qui muros intra patria, sedesq; quietas

Seu regitis, longè à turbaq; foroq; remoti,

Privati vestras ades & septa domorum:

Seu qui nunc manibus toleratis sponte labores,

Tractatisq; operas: rerum quibus indiget usus.

Theologi.

Vos etiam scitis, vos & meminisse potestis,

Qui passim per rura DEI nunc templa tenetis:

Vos hunc uno omnes iactabitis ore Magistrum:

Vos huic successus, studia & debetis ipsa:

Munere namq; huius passim loca vestra tenetis.

Ciuium benevolentia.

Atq; ita dum ciues inter magnum instar in ipso est:

Amplexumq; sinus OTMANNVM fert laude per ora

Turba virum: & NISSVS trahit ipse per ossa furorem:

Ecce adhibent illum ad secreta negotia ciues:

In dubijsq; ipsum poscunt oracula rebus.

Ergo alacris, rursumq; putans excedere terra

Consultum patria: ut si fors succurrere rebus

Afflictis velit: & patribus dare iura vocatis:

Lipsia

Rursum aliud molitur iter: quod ducit ad urbem:

Cui tilia quondam fecerunt nomina pingues.

Huc ubi peruenit Musis stipantibus ipsis:

Extemplo evoluit sinuosa volumina Iuris,

015

Observans quid sacra velint oracula Regum,
Quid Baldus, quid Saxo probet, quid Bartolus, aut quid
Justitia Caesar sacro de nomine dictus.

Omnia peruolitat furis inuenta peritum:
Nec prius absistit: quam cuncta volumina legum
Cognoscat: casusq; omnes in pectore figat.

Reditus in
patriam.

Postea ubi dederat legum novisse reperta
Cunctarum alma Themis: mox illum patria tellus
Ecce iterum reuocat: ludiq; in regna reponit.
Fugens appulerat peregrinis undiq; ab oris
Discentum numerus: qui limina celsa Lycei
Complerat: quos OTMANNI perduxerat istuc
Fama volans: liquidas Nisi & considerare ad undas
Fusserat: ipsa autem blandis hortatibus acta
OTMANNI imperio paret: nec iussa recusat.

Post vocat OTMANNVS plures aliunde magistros:
Qui regere imperio iuuenes: qui pandere sacra
Vatum inuenta velint, sacrasq; fideliter artes.
Atq; ideò rursus letus studia ille inuenta
Instaurat: operaq; nihil leuitate remittit:
Tantisper donec sancti sater ordo Senatus
Ipsum etiam numero selectum vellet ab omni
Regnandam accipere hanc patriam, imperioq; potiri.

Hinc munus capit: ut causas Regum oret ad ora
Conuentu in medio: & patriam sermonibus urbem
Tutetur: tandem fasces ille atq; secures
Accipit: atq; regit dictis prudentibus omnes.

Syndicus.
Consul.

Nunc

Nunc mihi si linguae centum essent, oraq; centum,
Ferreæ vox: gestarum omnes comprehendere rerum
Haud operas possem t sed mox impingerem in ipso
Limine: tantarum manet illum gloria rerum.

Fama refert, olim nostros dixisse priores:

Res gestæ. Ipse magistratus, quis quisq; sit, optimus index.

Hic verò ostendit manifestè, in sceptrâ repostus:

Se non sollicitos vana spe ludere ciues.

Atq; hinc consilijs habitus non futilis autor:

Inuentu sapiens: rerum prudentior usu:

Quiq; omnes longè casus, et fata sinistra

Prospiceret: caneretq; prius, quæ deinde futura.

Ac veluti speculam excubitor conscendit: et omnem *Vigilantia*

Prospectum latè campis petit, omnia lustrans:

Si quem forte hostem, florentesq; ære cateruas

Prospiciat castris ignes, atq; arma minari:

Ex templo ille implet magnis clamoribus ora:

Terribilem intendit sonitum mox ære canoro:

Et signo turmas rursus exhortatur in arma:

Haud secus OTMANNVS, si fors incommoda deinceps

Cerneret instare, et patriæ allatura nefandam

Perniciem: multis ciues sermonibus usus

Præmonuit: casusq; ante, edocuitq; pericla.

Atq; hæc tam dulci facundæ flumine linguae

Eloquentia. Protulit in medios: ut corda inflectere posset

In quascunq; modò partes traxisset necessum.

Subrigit ergo aures non auersata corona:

Verbaq;

Verbaq; miratur donumq; volubile lingua.
 Sape etiam quando turba in florente virorum
 Dicta daret, prima repetens ab origine causas:
 Obstupuere omnes: tum facta silentia tectis:
 Illius & parent dictis: & iussa capessunt.
 Moribus asperitas fuit haud admixta pudicis:
 Sed facilem erga omnes, blandum seq; ore ferebat.
 Praeterea rueret quoties effusa virorum
 Turba ad eum: precibus rebus solamen in arctis
 Qui peterent, vestesq; dapes: quae plura requirit
 Mortalis vita hac: sortem miseratus egenam
 Extemplo facili spargit sua munera dextra:
 Ceu quondam (ut memorant) forma pulcherrima Dido,
 Non ignara mali miseris succurrere discit.

Comitas.

Liberalitas

Caesareas quoties etiam processit ad aulas?
 FERNANDVM multo quoties compellat honore?
 MAXIMVM & AEMYLIVM? sic Caesaris ora R. O=
 DVLPHI

Peregrinationes.

Sape adiit, tentans mollissima tempora fandi.
 Hinc crebro subiit muros, arcesq; Vienna:
 Et quae sub caeli iactat caput astra, Casurgin.
 Sape illum (auditu mirum, & memorabile seclis
 Omnibus) excepitq; manu, Rex ipse RODVLPHVS,
 Fare age, quid venias, inquit: fas ore profari
 Fussa tibi: quaecunq; petes, quaecunq; rogabis,
 Posce, feres: nil namq; manus tibi nostra negabit.
 Imò alij proceres, regni qui in parte locati,

Vienna.

Praga.

C

Audiue-

*Audiuere virum, mirati flumina lingua,
Mirati nervos rerum, & sapientia dicta.*

Autoritas,

*Hinc ceu magnanimum venerati Nestora ciues,
Consilia in dubijs illum certissima rebus
Sepe petunt: eademq; probant: nec plura requirunt.
Nec verò hanc urbem saltem, patriosq; penates
Consilijs iuuit: totis regionibus imò
Profuit, auertitq; malum, in meliusq; reponens
Res hominum afflictas, multis dedit ore salutem.
Nullaq; suscepta est in magno causa Senatu
Ardua, tentatum nihil est, OTOMANNE, nec actum
In rebus: tua ni prius explorata fuissent
Consilia: Et fieri quid velles, signa dedisses.
Atq; hac qualia tum fuerint, non dicere nostrum est:
Vos memori proceres retinetis tradita menti:
Summa sequi saltem nobis fastigia rerum
Cura fuit: nec res nostro omnes pandere versu.*

**Elogium
funebre.**

*Verum quò paucis complectar plurima verbis:
Te praeses cætus, OTOMANNE, sacrata professi
Scita DEI, THEODORVS agens, cum funera fleret,
Et via vix esset voci laxata dolore,
Appellat, patria patrem, & vocat urbis ocellum.
Hac nil laude potest maius meliusve referri.
Felix heu nimium felix, nimiumq; beatus:
Cui partum virtute fuit nomenq; decusq;
Nulla quod in patria poterit delere vetustas.*

Nunc

Nunc igitur *Musa* dulces, quæis carmina cura,
 Linquite *Pegaseos* fontes: *NISSI*q; redite
 Ad muros: vestrumq; omnes celebrate parentem:
 Carminibusq; immortalẽm; vos dicite honorem:
 Qui *vetus* hospitium vobis, sedesq; nouatas
 Restituit, portas reſerans & limina ludi:
 Quiq; intra patriæ sedes & mœnia duxit
 Præſtantes virtute viros, celebresq; Magistros,
 Aeterna excelsum fama super æthera notos.
Musa viros memora: liceat mihi prodere nomen.

Primus erat *PETRVS* sermonis flumine cunctos
 Longè alios *VINCENS*: quem olim turrata *Budorgis*
 Ediderat partu superas sub luminis auras.

P. Vincens
tius,

Hic studiorum autor aditum patefecit ad ipsa
 Atria *Pieridum*: atq; in nostras attulit oras
 Ex *Helicone* nouem (spe non fallente) sorores.
 Hinc vsq; huc *Musa* seruarunt flumina *NISSI*:
 Aeternumq; colent: patriæ nec mœnia linquent.

Alter erat vcrsuq; potens *MEISTERVS*, & ore: *I. Meisterus*.
 Carminibus celebrem nostram qui reddidit urbem:
GORLICIVM hinc alio terra sub sole iacente
 Vulgatam patitur famam, volitatq; per ora.

Phæbe adsis, *LAVRV*Mq; fove: qua tertia *Ludi*
 Sceptra tenet: cuius patulo sub tegmine, pubes
 Innumera optatas captat feliciter umbras.

Quis neget *OTMANNI* studio, multoq; labore
Pieridum hos intra muros inuenta reducta?

T


2. h. 2.
C. 10. 10.

*Tu testis verbi praco, THEODORE, sacrati:
Vos reliqui testes, procures quos curia legit.*

Epitaphium

*Nunc ergo fas hoc subscribere marmore carmen:
Hac situs OTMANNVS patriæ pater optimus urna
Orator, præsesq; fori, rectorq; Senatus:
Cui templum cura sacrum, IOVAEQ; ministri,
Cui Schola perpetuò fuerat: dum vita manebat.
Nunc igitur placida compositus pace fruatur:
Suaviter & tumulo felix requiescat in isto:
Donec, ubi fragilis soluetur machina mundi,
Ora leuans, superas surgat rediuiuius in auras.*

FINIS.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005327 0



SLUB

Wir führen Wissen.

<http://digital.slub-dresden.de/id445597216/24>



GÖRLITZER SAMMLUNGEN
OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK